

& datis una dosi binis granis opii puri vix brevem somnum illi procurare poteramus, a quo evigilans, pejus se jactabat.

Dedi tunc hyosciami extractum.

Per tres primos dies binas pilulas sumfit, unde ægra pacatior fieri videbatur, dein sumfit tres pilulas de die, nempe unam mane, aliam circa meridiem, & tertiam vespere.

His sensim redivit quies menti.

Sub finem Octobris perfecta sanitate fruens nosocomio valedixit.

Viderat illam illustrissimus Præses undecima Octobris, & alii celeberrimi viri.

EXPERIMENTUM X.

Theresia Liedmayerin, 18. ann. nata, decima sexta Julii ad nos

ve-

venit, plures jam Epilepsiæ paroxysmos passa.

Quoniam menses suos adhuc nunquam habuit, omnem operam impendi ad eos ciendos, qui pro prima vice initio Augusti sat bene fluxerunt, postquam in nosocomio jam octies paroxysmum epilepticum habuisset.

Sperabam tunc, fore, ut fluentibus catameniis ægra ab Epilepsia liberaretur; verum paucis diebus elapsis reversus est dirus morbus, ægram fere omni die impetens, nullis medicamentis leniendus.

Initio mensis Septembris catamenia iterum habuit per tres dies sat copiosa, quorum tempore pluries de die convellebatur.

Sub finem demum Septembris, ita vehementer ad omnem partem corpus in paroxysmo distorquebatur, ut adstantes continuo crederent, mox artus, mox spinam dorsi, ob convulsionum vehementiam frangi debere.

Hinc experiri licuit, quid pilulæ de extracto Hyosciami, quæ priori ægræ adeo salutares erant, in hoc gravissimo casu præstare possent.

Primis diebus tres pilulas assumpsit, verum malum inde parum levabatur, paroxysmi erant æque vehementes, nullum tamen a medicamento malum oriri videbam.

Hinc ter de die binas pilulas dedi, (quælibet pilula habebat pondere granum unum) quibus effectum est ut 20. Octobris nihil de morbo apparuerit.

Con-

Continuavit ægra pilulis uti ad finem Novembris usque, tum optime valens recusavit diutius in nosocomio commorari.

Ab eo tempore pluries ipsam vidi, & 24. Martii adhuc apud me fuit in nosocomio sanissima, gratias adhuc agens pro recuperata sanitate.

Sub usu pilularum aliquoties ob alvum tardiozem purgans dare debui.

EXPERIMENTUM XI.

E Leonora Gallapin, 22. annorum, 18. Augusti ad nos venit catameniiis jam in quartum mensem carens, & magno capitis dolore, & vertigine a binis hebdomadibus affecta.

Ægra aspectu sanissima videbatur, appetebat, alvus omni die sponte dimitte-